

riculum animarum, & hæc omnia confirmantur, ex c. placuit x. q. 1., ibi Episcopi per Diœcesim ambulantes, primum discutiant clericos, quomodo ordinem Baptismi teneant, vel Missarum, & qualiter quæque officia in Ecclesia peragant &c., servanda tamen est prudentia ab inquirente, quam notat Diana p. 3. tract. 2. resol. 42.

20 Sequitur sexto, quod non obediens editis Inquisitorum præcipientibus denuntiare hæreticos, vel de hæresi suspectos, negligentia culpam mortalem incurrit, tū quia agitur de bono communi, tum quia in re gravi, dum agitur de grandi periculo animarum, tum quia præcipitur sub pena excommunicationis, quæ semper supponit peccatum grave, quod commensuratur pena.

21 Sequitur septimo, ex eodem capite, quod negligentes, denuntiare, & revellare Episcopo præcipienti per monitoria, eos qui detineant res, bona, scripturas alienas &c. de quibus in Edicto &c., etiam occultas, tacendo, incurrit peccatum mortale, tum quia agitur de re gravi, prout in Trid. sess.

25 c. 3., ubi Barbo num. 15., tum quia obligatio est sub pena excommunicationis.

22 Sed quia diximus in prima parte hujus tractatus, quod negligens non est, qui potest aliqua excusatione legitima se tueri, id est excusationes, quæ aut solent, aut possunt afferri ab interrogatis, sunt hic attente examinandæ, quia agimus de re fatis gravi, practica, & quotidiana.

23 Et ut incipiam ab Urgentiori. Prima est exceptio secreti naturalis, quod etiam potest conjungi cum Juramento; casus accedit in quodam concionatore missio ab Episcopo, ad habitatores montium, inter fines suæ diœcesis, qui sub naturali secreto, & expressa promissione de non revellando, novit quod Parochus ejus loci, ardebat amore, & inhonesta concupiscentia cuiusdam sceminae de sua Paretia; reversus autem ad Episcopum, interrogatus fuit an cuncta bene se haberent? maximè, quoad regimen spirituale? anceps autem diu stetit Concinator; An taceret, an revellaret Episcopo, qui novit de Parochio sub naturali secreto; nam revellando dubitabat, se violare Jus naturæ, quod ex Fide data, videbatur magis urgere, quam Præceptum Episcopi, quia præceptum hominis,

non potest tollere Jus naturæ, quod altioris ordinis, & fortius est: E contra verò agebatur de salute animæ, tum Parochi, tum Mulieris, tum aliorum de Parochia, quia Parochus, non officium Pastoris, sed lupi, rapinam exercere moliebatur, quod & in scandalum grave aliorum poterat vergere, quod autem lupus præsit Ovi, nullo Jure ferendum.

24 Cum distinctione autem solutio adhibenda est; vel Episcopus, aut quilibet aliis Superior exquirebat ad poenam inferendam, & tunc (excepto crimen hæresis, quæ est crimen læsa Majestatis divinæ, & crimen læsa Majestatis humanæ) non licet violare secretum, nisi procedat servato Juris ordine; vel exquirebat, non ad poenam, sed ut Pastor, & Pater ad procurandam salutem animarum; tunc tenetur Episcopo revellare, non obstante secreto; ratio optima est quia illud secretum cum sit ordinis naturæ, non potest obligare in præjuditium animarum, quæ altioris sunt ordinis, & intrat quod dicunt Doctores, quod si quis novit sub secreto proximum brevi occidendum, tenetur quamprimum revellare, ut saluti proximi consulatur; tum quia agebatur, etiam de bono communi ovi eidem Parochio subiectarum, quæ poterant perire, vel propter scandalum, vel propter sollicitationem &c., & tunc duo consideranda sunt Jura naturæ; primum respiciens bonum privatum Parochi, ne infamiam patiatur; secundum respiciens bonum commune totius Populi, vel etiam respiciens bonum privatæ illius sceminae, in cuius concupiscentiam ardebat Parochus, & in hoc casu certum est, quod jus naturæ respiciens bonum commune, & jus naturæ respiciens bonum proximi innocentis, nempe illius sceminae, fortius erat, & consequenter excedebat Jus naturæ respiciens bonum Parochi, ad notata per Navarum in summac.

28. num. 42. 48. 49., & post plures alios Gutierrez qq. Canon. lib. 1. c. 11. num. 47., & seqq., & est tex. in c. hoc videtur dicere 22. q. 5., ibi, quia non expressit, cui hoc indicandum sit, an Sacerdoti cuiquam, qui non solum eum persequi non potest, interrogando supplicium, sed etiam orare pro illo potest, videtur mihi, quod se homo solvat à peccati Vinculo, si indicet talibus, qui

qui magis possunt prodesse, quam obesse perjuro, sive ad corrigendum eum, sive ad Deum placandum, si & ipse confessio-nis adhibeat disciplinam, & affert rationem glos. ibidem in V. prodesse, quod qui dicit, talibus qui possunt prodesse non obesse, non dicitur prodere per tex. in c. si Peccaverit 2. q. 1.

25 Ex quibus colligas, quod qui novit sub secreto, etiam cum Juramento de non revellando, adhuc tenetur revellare Episcopo Inquirenti, non ad poenam, sed ad correctionem, vel ad bonum commune, quia fortius est Jus naturæ obligans ad bonum commune, & ad salutem animæ, quam Ius de servando secreto; nec obstat Juramentum, quia hoc non potest esse Vinculum iniquitatis; Quæ habent locum, quando Episcopus querit à Parochis informationem circa qualitates, virtutes, & via Concionatorum, quos misit ad concionandum in eorum Ecclesiis; vel ab ipsis concionatoribus, requirit de qualitatibus, virtutibus, & vitiis Parochorum, ad tradita per Dianam p. 1. tract. 4. resol. 24., & p. 9. tract. 6. resol. 46.

26 Ex eodem fundamento factum est, quod in Sacro Concilio Trid. judicatum fuit, potuisse Ecclesiam irritare matrimonia, quæ celebrentur sine presentia Parochi, & Testium; quia licet de Jure naturæ, matrimonia ex solo consensu contrahentium validè celebrentur, tamen quia, & animalibus, & bono communi multa incommoda sequebantur, adiudicatum fuit, quod Jus naturæ respiciens bonum animæ, & bonum commune, prævaleret bono privatæ, & per hoc illud cädere debuisse, sicuti propter bonum commune potest Princeps tolere jus quæsumum particularium subditorum; hoc autem jus naturæ non summittur secundum actus materiales communis cunctis animalibus, sed secundum actus formales, quatenus naturali lumine homini indito à Deo auctore naturæ, cognoscimus quid bonum, quid malum, quid fortius, quid minus, & exprimitur in psalmo 4., *Quis ostendet nobis bona, signum est super nos lumen vultus tui domine*, ideo Seneca lib. 2. de Ira c. 16., ait, animalibus pro ratione impetus, hominibus pro impetu ratio est, & Cicero lib. 5. offic. in principio scribit, *Principium generi animantium omni, est à*

*natura tributum, sed inter hominem, & Bel-
lam hoc interest, quod hæc tantum sensu mo-
ventur, homo autem, qui rationis est particeps,
causas rerum videt.*

27 Ac propterea D. Bonav. in 4. sent. dist. 21. artic. 2. q. 3., querit utrum recipiens ali-
quid in secreto, teneatur revellare Superio-
ri præcipienti, & re discussa, in fine re-
spondit, teneri etiam si præstisset Juramentum,
de non revellando, quia Juramentum
est nullum in præjuditium Veri-
tatis, & obedientiæ, cuius dictum Angelus in V. testis in fine num. 33., intelligit pro-
cedere, quando Superior hoc requirit, ex
aliquo bono fine, & respectu, & ut tam-
quam Pater provideat, quæ etiam refert
Fagnan. in c. Tua nobis num. 44., & 45. de
testamentis.

28 Secunda exceptio est, timor mali sibi sub-
sequenti, si revellet Superiori veritatem,
de qua interrogatur, & fundatur in eo
principio, quod præcepta positiva superio-
ris, non obligant cum gravi incommodo,
ad notata per Bonacinan de obligat denun-
tiandi disp. 6. p. 1. §. 3. num. 2.

Verum, & eadem distinctione opus est,
nam si non revellando non subsecutura sint
gravia mala bono communi, & maximè
spiritualia, exceptio excusabit; secus si
gravia mala bono communi, & maximè
spiritualia prudenter judicentur sub sequen-
tia; putè inquirit Episcopus de eligendis
ad beneficium, vel ad munus concionan-
di, quorum vitia possunt notabiliter popu-
lo obesse, vel ex erroribus in doctrina, vel
ex scandalis, oves sibi commissas timere-
tur inficiendas, certò non debet tacere, ob
timorem sibi imminentis mali, alias ta-
cendo graviter peccaret, juxta, ea quæ
tradit, D. August. relatus in c. quisquis xi. q.
3. ibi, qui metu potestatis veritatem occul-
tat, iram Dei super se provocat, quia ma-
gis timet hominem, quam Deum, & con-
cordat tex. in l. si quis obrepit ff. de falsis, cum
que ratio dictet, quod ex oibus malis mi-
nus eligat c. duo mala dist. 12., mala autem
spiritualia, majora sint temporalibus, se-
quitur hæc non esse timenda, Matthei c.
16., Lezana summa p. 1. c. 27. num. 2. ad
finem Vers. similiter.

29 Ita qui potest liberare innocentem ab ini-
quo damno, si taceat veritatem timore
damni proprii, culpatur, nam debet cum
liber-

libertate loqui c. Nolite timere xi. q. 3., Sot de iust., & Jur. lib. 5. q. 7. art. 1., Navara in c. Inter verba xi. q. 3. Corolar. 63., Covar. in reg. peccatum p. 2. §. 3. num. 2., & expli- cat D. Gregor. relatus in c. quatuor modis xi. q. 3., ibi, quatuor modis p̄vertitur hu- manum iuditium, timore, dum metu po- testatis alicuius veritatem loqui pertime- scimus &c., & ad hoc faciunt allegata per Bonacinam de obligatione denunciandi disp. 6. puncto 1. §. 3. num. 6., Diana p. 1. tract. 4. refol. 7.

30 Tertia excusatio erit, quod nemo tene- tur revellare alterius delicta, nisi præcesse- rit diffamatio, vel inditia; secus si occulta, ad allegata per Lezanam summa p. 1. cap. 4. num. 23., ex Gajetano, Suarez., Azor. ibi.

Sed solutio facilis est, excusationem in- trare, si ageretur ad pœnam infigendam; secus si pro bono regimine, ut supra no- tatum est, Botterus de Synodo p. 3. actione 9. num. 45. Vers., & hæc inquisitio, Lezanam p. 1. c. 27. num. 2. Vers. Nisi.

31 Excusatio quarta, quia revellans timeret detrahere proximo; Verūm, & hæc cor- ruit; primò, quia uni revellare defectus alterius, non est diffamare, quod importat apud multos jacturam famæ pati; & si di- cas, quod magna jactura est, apud solum superiorem, propter ea, quæ ab eo con- sequi, vel deperdi possunt; responsio se- cunda est, quod bonum, vel damnum commune, vel Proximi innocentis, præ- ponderat, & tunc detractio non dicitur formalis, sed tantum materialis, ad no- tata per Sylestrum Verbo Detractico num. 2., ubi quod tunc non est peccatum, sed ac- citio bona, & ad allegata per Dianam p. 3. tract. 5. refol. 33., & D. Thom. 2. 2. q. 58., ubi de accusatione pro bono communi.

32 Excusatio quinta, si utatur Verbis am- phibologicis, quorum æquivocatio sicut in sola mentali restrictione, hodiè certò ne- queunt tueri, quia propositio dicens lice- re, uti hujusmodi amphibologiis, fuit dam-

nata, tamquam ac minimum scandalosa.

33 Unum moneo, quod Interrogati pru- denter respondeant, idest quantum necesse est ad satisfaciendum Interroganti, & quæ ipsi audierint referant, tamquam cer- ta, quæ dubia, tamquam dubia, quæ ip- si audierint, referant tamquam de auditu, & cum respectu ad qualitatem personæ à qua audierint, ne alias pro veritate calum- niam inferant; Quod Monuit Lezanam summa p. 1. c. 27. sub. num. 2. ad finem, & sub. n. 10. ad finem.

34 Et tandem, quæ dicta sunt, non habent locum in secretis Principis, aut Reipubli- cæ, quæ numquam debent violari, & si benè considerentur superius dicta, in istis non possunt habere locum, quia laderet bonum publicum.

35 Prudentialis opponebatur exceptio à quo- dama Parocho, qui per epistolam à Su- periore interrogatus de habilitate, & qualiti- bus moralibus cuiusdam Concionatoris, respondit per Epistolam studiosè conscrip- tam, qua sub involucro Verborum, tege- bantur inhabilitas, & defectus eiusdem; & pro excusatione afferrebat, se praxi edoctum, litteras ad Principes, & Magna- tes missas, non sub lapide sepulcralis filen- ti perpetui, & secreti obtegi, sed non ra- rò prece, aut pretio, sublato lapide ad lu- cem produisse redivivas; non expectato die Juditii, ex quo sub nomine Malignantis, & calumniantis scriptor maculabatur.

Verūm hoc malum non esse timendum, ex quo solitum euenire, relatum forsan ex circumstantiis dissimilibus, satis se prodet, nam quando spontaneo scriptore Missæ fue- runt litteræ, minori diligentia custodiun- tur; immò ex industria in forum prodire permittuntur; ut si calumniantum ma- litiam deferant, detegatur; at quoties quis non sponte, sed requisitus referat subje- cti qualitates, cum receptor sit certus de fine, & intentione scriptoris, diligentissi- mè custodit Epistolas, & silentii claustris perpetuo contumulat secreto,

De Negligentia Vendentium, & Ementium.

S U M M A R I A.

- 1 **E**mpio, & Venditio habet duo substan- tialia, rem, & Pretium; Nomine rei, quandoque venit spes.
- 2 Aliud est vendere rem futuram, aliud spem rei expectatæ.
- 3 Si vendorem, expectandum est non solum hoc anno, sed, & sequentibus; si vero spem, primo anno finitur.
- 4 Nomine pretii, non solum venit pecunia, sed & corpus, quod datur estimatum, & at- tenta ejus estimatione.
- 5 Venditor negligens est, si negligat consignare rem Venditam Emptori, loco, & tempore, quo fuerat conventum, unde tenetur ad dam- na, & interesse.
- 6 Venditor negligens est, si negligat consignare rem Venditam Emptori, loco, & tempore, quo fuerat conventum, unde tenetur ad dam- na, & interesse.
- 7 Venditor potest res aliena, & tunc venditor te- netur de evictione; ideo potest contingere venditio absquequo dominium transferatur in Emptorem.
- 8 Quando venditor possit cogi præcisè ad rem tradendam, & quando causative.
- 9 Si venditor potest rem tradere, cogi debet præcisè, si non possit, causative, idest te- netur ad damna, & Interesse.
- 10 Venditor receperit pretio, si negligat rem con- signare, tenetur ad fructus recompensati- vos; intellige si culpabiliter differat rem con- signare.
- 11 Vendere, qui tenetur, potest cogi implere obligationem, alias judex ex officio pro eo vendit.
- 12 Venditor potest cogi liberare rem venditam à pignoribus, & hypothecis.
- 13 Tenetur Venditor manifestare Vitia occulta rei, quam Venditioni exponit, quando au- tem non manifestando, contractus sit nullus, aut diminuendum sit de pretio, cum distinc- tione resoluatur.
- 14 Omissa manifestazione Vitia occulti, Venditor tenetur ad damna, quæ sequentur.
- 15 Si Vitium tale sit, quo cognito, Emptor ad- huc emisset, sed minori pretio, tunc Venditor tenetur restituere excessum pretii.
- 16 Si emptio sit conditionata, idest, si res non habet hoc vitium, tunc non verificata condi- tione contractus non sustinetur.
- 17 Vendens scienter rem vitiosam adhibito in- voluero Verborum, non potest exceedere pretium Justum rei, alias teneretur de excessu.
- 18 Quoties vitium patens est, & Emptor potest illud cognoscere, sed negligat investigare, Venditor liberatur ab onere.
- 19 Si venditor ignorabat Vitium, tenetur solum de excessu pretii sibi soluti; si vero noverat, & involucro Verborum curavit occultare, tunc Venditor dicitur dolosè circumvenire Emptorem.
- 20 Praxis in Nundinis de protestatione, se ven- dere saccum ossum, & sic nolle teneri de Vi- tius etiam occulis, potest sustineri, quia- nus non excedat Justum pretium rei, consi- derato vitio.
- 21 Regula quod liceat contrahentibus se decipere infra dimidium, qualiter debeat intelligi, num. 22.
- 22 Toleratur talis deceptio in foro externo, ad evitanda graviora mala; seu incommoda.
- 23 Secus in foro conscientia.
- 24 Sciens vitium rei, & tamen tanti emens spon- te. censemur donare excessum; secus si ege- state, aut necessitate coactus emat.
- 25 Emens rem pretiosam vili pretio, eo quia ven- dens ignorat rei pretiositatem, non est tutus in conscientia; Unde vel tenetur supplerre, usque ad Justum pretium, vel contractum rescindere.
- 26 Vendens cum pacto recuperare ad tempus, & ex hoc minori pretio, si negligat infra illud tempus recuperare, & res fiat irrecuperabili, Vendens ex sua culpa, fiat in damno.
- 27 Pactum recuperandi diminuit de pretio, Ju- ditio prudentis considerata circumstantia lon- gioris, vel brevioris temporis.
- 28 Res non confignata Emptori perit negligentie.
- 29 Emptore negligentie pretium solvere Venditor potest alteri vendere.
- 30 Limita habita fide de pretio.
- 31 Sires vendatur, & Emptor non soluat pretium; an teneatur ad fructus recompensatiros?
- 32 Plures Theologi existimant non teneri, nec li- cere eos recipere, sed esse usuram omn. Jure probitam.